

Venetorum copiis eo contendere decrevit ; qui , patefacto per vim usque ad munitiones aditu , quibus Cæsareani urbem ex opposito arcis muniverant , fortissimos quosque militum scutis obtectos vallum ascendere jubens , vulnerare ferreis glandibus eminus propugnatores nitebatur ; ex quibus multi faucii , plerique iætibus perculsi concidebant . Ad hæc ex arcis turribus crebras ejaculari pilas ferreas , quæ cum Cæsareanos perterruissent , suorumque interitu minus alacres ad iætus excipiendos redderentur , tandem civitatem nostris dedere , nisi intra decem dies auxilia a suis acceperint , paciscuntur , Germanis trans Alpes redire jussis , Hispanis ne , nisi evoluto anno , in Insulibribus militare liceret , jurejurando adactis . Dum hæc geruntur , apud Helvetios , ut ea gens arma arripiat , ac in Cisalpinam Galliam descendat , summopere laboratur . At suborta difficultas ex inopinato Mussiani Præfecti ab exercitu discessu , impedimento fuit ; is enim cum Sfortiam a nostris exceptum in castris vidisset , statim , nulli consilio communicato , discessit , & cum in Mussianam arcem se recepisset , Oratores Venetos Sebastianum Justinianum , & Laurentium Bragadenum in Galliam proficiscentes contra fas , atque gentium jus captivos fecit , idque ob eam causam , quod adhuc sibi quinque aureorum millia pro Helvetiorum delectu a Pontifice , Senatuque Veneto deberentur . Tulit sane hanc injuriam gravissime Respublica ; cum Clemente , ac Francisco Rege conquesta ; qui graviter Mussianum Præfectum , ut oratores per summum scelus captivitate affectos liberaret , admonuere ; ni fecisset , vi coacturos . Verum Respublica rationes temporum optime pernoscens , & quantum illius opera , atque auctoritas apud Helvetios , Rhætosque posset , intelligens , & Mussianam arcem , quæ lacui Comensi imminet , vel ad hostes avertendos , vel ad præsidia militum excipienda , magni momenti esse ; rem per Pesareum legatum , Franciscumque Guicciardinum cum Præfecto componere non recusavit . Itaque quinque aureorum millibus Præfecto solutis , oratores liberati sunt .

1526

*Urbinas  
Cremonam  
ad deditio-  
nem com-  
pellit .*

*Sebastianus  
Justinian-  
nus , &  
Bragadenus  
a Mussia  
Præfecto  
capti .*

*Finis Libri Secundi .*